

Glo
1024

Nf. 99.

5.

SVMMA
DOCTRINÆ CHRISTIANÆ
PAVCIS APHORISMIS
IN
ORDINEM ET CONNEXIONEM
RELATA
A
MEDICO CHRISTIANO

EDITIO SECUNDA AVCTIOR

HALAE MAGDEBVRGICAE

Excudit JOHANNES CHRISTIANVS HILLIGER Acad. Typogr.
MDCCXXX.

2

SUMMA
DOCTRINA CHRISTIANA
PACIS APHORIAS
IN
ORDINE ET CONEXIONE
REFATA
A
MEDICO CHRISTIANO
EDITION SECUNDIA ACTIOR
MVR E MEDICINICAE
Johannes Christianus Mittelz A. M. T. 1692
MEDICO



Q. D. B. V.

I.

Datur duplex theologia , altera naturalis ,
sive rationis , quæ ex lumine naturæ DEI cogni-
tionem eiusque cultum deducit ; altera divina , quæ
ex revelato DEI verbo divinæ essentiæ mysteria pandit
& verum Dei cultum , qui finis theologie , manifestat .

II. Quivis homo sana ratione præditus , attenta huius univer-
si , & in primis pulcherrimæ & admirabilis corporis humani stru-
eturæ , contemplatione , ad existentiam Entis supremi perveni-
re potest .

III. Quum pulcher & sapientissimus corporum variorum in
universo nexus , ordò ac structura , tendens maxime ad universi &
singulorum corporum conservationem & propagationem , nullum
in se existentia , & quod cuncta sic ac non aliter inter se coordi-
nata sint , habeat fundamentum ; recte colligit ratio : causam a qua
pendeat , extra ipsum debere existere .

IV. Primum fere & innatum rationi & naturæ humanae prin-
cipium est : eum , a quo existentiam , conseruationem & omnia bona
possidemus , esse gratia mente colendum & venerandum .

V. Ex potentia & viribus agendi , quibus singula corpora instru-

A 2

cta

¶ta, ex sapientissimo, quo inter se nexa sunt ordine, & ex fine, ad bonum & salutem tendente, Entis supremi infinitam potentiam, sapientiam, bonitatem cognoscimus, quod ob has virtutes timendum, amandum & fiducia ac humilitate venerandum est.

VI. Exaccurata operum DEI cognitione discimus, singulorum actiones ad totius vniuersi conseruationem & perfectionem conspirare; quare recte colligit ratio: DEVM velle singulorum etiam hominum salutem, per mutuum amorem, socialitatem, amicitiam, fidem ac benevolentiam.

VII. Officia, quæ DEO & proximo debemus, non a sola utilitate priuata ducenda, sed ex obligatione, quam superiori debemus. Hoc enim posito, ponitur obligatio, posita hac, ponitur justitia; justitia autem & utilitas differunt magnopere: unde quo plus ad commodum priuatum respicitur, eo minus justitiae, amicitiae, benevolentiae minusque grati animi subest.

IX. Teterima sunt mala, quæ ex fine utilitatis propriæ in genus humanum redundant; in justitia nempe, qua nihil ad salutem publicam destruendam deterius.

XI. Qui DEVM negant, manifesto desipiunt. Nam eo sublato, nulla obligatio, lex nulla, nullus ordo, justitia nulla, nullum in calamitatibus auxilium, nulla remuneratio nullaque vita æterna speranda essent; ac si DEVS non esset, nil detestabilius foret in mundo, vehementerque oprandum, ut ille existeret.

X. Qui existimant, veritates non dari alias præter has, quas ratio humana capere & assequi potest, ii infanæ mihi proximi videtur. Nam potissimos rerum naturalium effectus, vires, operationes & phænomena, quomodo & a quibus causis fiant, planè ignoramus, multo minus ea, quæ ad DEI & spiritum natum cognoscendam pertinent, ratio per se assequi poterit.

XI.

A

XI. Dari itaque veritates quæ rationem exsuperant, quas reuelatio nobis detegit diuina, & quas credere debemus, rectissime colligitur.

XII. Quemadmodum omnium veritatum ratio in eo potissimum posita est, ut in animo assensum & conuictionem relinquant; ita id ipsum quoque in veritatibus altioribus, quas per reuelationem verbo diuino debemus, animaduertimus.

XIII. Lumen revelationis non destruit lumen naturæ; adeoque veritates, quas per reuelationem diuinam capimus, non contrariae sunt veritatibus, quæ ex lumine rationis fluunt, sed potius supra illud sunt, ut lumen majus augeat & exaltet lumen minus: quandoquidem unus idemque auctor est naturæ & S. scripturæ.

XIV. Longe difficilis, imperfecta & valde languida est via per rationem ad cognitionem DEI & officiorum nostrorum perueniendi; id quod ex philosophia & religione ethnicorum appetit; longe tutior, & perfectior haec est, quæ fit per reuelationem in verbo divino, cuius veritas perfecta & immutabilis est.

XV. Licet naturalis theologia officia DEO & proximo debita doceat & ad felicitatem hujus vitæ quodammodo utilis sit ac necessaria, nequit tamen plenam ac perfectam immensi amoris & misericordiæ erga miseriam humanam notitiam patefacit, multo minus ea suggerit media, quibus animus, natura inobediens & in prauas ac noxias cupiditates proclivis, ad debitam DEO obedientiam præstandam deducatur; quæ tamen beneficia per reuelationem possidemus.

XVI. Datur itaque theologica saluberrima disciplina, quæ per diuinam reuelationem summam miseriam humanæ naturæ detegit, & modum ac media, quibus ad glorificationem nominis diuini & nostram salutem peruenire possimus, manifestat.

XVII.

XVII. In verbo diuino, quod reuelat veritates æternas & immutabiles, quæ supra rationis humanæ captum sunt, omnis cognitionis & sapientiæ diuinæ, nec non humanæ, thesauri, ac quæ ad sanctificationem nominis diuini & nostram salutem pertinent, recondita sunt.

XVIII. Magnum non modo illud creationis & prouidæ rerum vniuersi conseruationis, neque minus redemtionis & conuercionis miseri hominis ad DEVUM mysterium, omnipotentiam ac immensam sapientiam DEI demonstrat, sed et miracula, quæ DEVS & Christus in V. & N. T. ediderunt, easdem in Deo perfectiones, & quod supremus vniuersi Dominus sit, qui ordinem & leges naturæ mutare & suspendere possit, demonstrant, ut eo major fiducia in eum, timor & amor excitetur.

XIX. Diuum verbum statum hominis ante & post lapsum detegit, remediaque manifestat, quorum beneficio, in summam misericordiam dejectus homo, ad suam salutem, neque minus ad sanctificationem nominis divini peruenire possit.

XX. Primus homo, integris & in bona harmonia atque æquilibrio animæ spiritualis & corporis animalis, e quibus essentialibus partibus eius natura constabat, viribus constitutis, conditus fuit a DEO; ita prorsus, ut summum ipsius nomen recte cognoscere & sancto timore, amore & fiducia venerari potuerit.

XXI. Per inobedientiam & superbiam, qua Dominum & Creatorem suum contempsit, eius natura ita mutata ac corrupta est, ut spiritualibus viribus prorsus depresso, nec DEVUM recte cognoscere, nec sanctum eius nomen rite celebrare possit, ac potius evecta natura animali, non voluntati DEI, sed carnis, a corrupta phantasia prouenientibus cupiditatibus, inferuiat, ex immortalis mortalitatem, ex spirituali animalis redditus,

XXII.

¶ ¶)o(¶ ¶

XXII. Diuina vero reuelatione cognoscimus, ob immensum DEI erga creaturam suam rationalem amorem, ex essentia eius ab æterno genitum filium, in veteri testamento promissum, atque in novo missum fuisse in hunc mundum, vt purissima vi, spiritus S. conceptione & nativitate humanam naturam cum diuina vniat, exaltet atque rectificet, inque ea promisere lapsō hominum generē, perversaria, usque ad mortem maledicta crucis, passionum genera, plenam ac perfectam, quam primus homo DEO, seu autori suo debebat, obedientiam, cum summa humilitate praestet, omniumque peccatorum poenas, animo & corpore supra modum degustet, & haec via ac modo amissam DEI imaginem, ad quam primus homo conditus erat, ac quæ in justitia & sanctitate constabat, restituat.

XXIII. Diuina veritas est, quæ nos docet, quod Christus morte sua mortem hominis penitus destruxerit, & vi resurrectionis suæ vitam & immortalitatem animæ & corpori reddiderit, atque ascensione ad cœlum, propter lapsum hominis clausum, id rursus aperuerit.

XXIV. Reuelatione quoque diuina scimus: Christum nunc sedere ad dextram patris omnipotentis & pro peccatoribus fidelibus assidue intercedere, & aduersus potentiam & insidias principis omnis malitiæ spiritus, coetum, seu ecclesiam suam, defendere, ejusque membra tandem in beatam vitam ad æternam nominis sui glorificationem recipere velle.

XXV. Per diuinam quoque reuelationem & immutabilem veritatem ac promissionem cognoscimus: hominem, qui intimam suam & profundam miseriā per verbum diuinum virtute spiritus S. agnolcit, & in merito Christi, pro omnium hominum peccatis unicam suam fiduciam cum firma cordis sui adhæsione & desiderio auxiliū diuini reponit, justificari, ab omni-

inibus peccatis & eorum reatu absolui, adeoque ex mera Christi gratia in gratiam rursus recipi, ad nominis divini glorificationem eiusque æternam salutem.

XXVI. Deus non aliud in verbo suo ab iis qui salutem a Christo partam consequi velint, quam interiora cordis, sive animi nostri, fiduciam nempe, cum ardentissimæ misericordiæ diuinæ desiderio, eiusque ob præstata beneficia intimum amorem & gratum obedientemque animum postulat.

XXVII. Passio & ascensio Christi in cœlum, gratuitum & longe superius luxurium Spiritus S. donum nobis procuravit, ut is efficacia verbi divini, corruptam naturam, sive carnis cupiditates & desideria prava, mortificando, vitam novam & spiritualem erigit ac excitat i. e. in agnita miseria, misericordiæ divinæ desiderium & firmam fiduciam animique acquiescentiam in merito Christi, qui pro pecatis nostris mortuus est, nec non amorem DEI, in interioribus cordis, sive animi, accendat.

XXVIII. Christi mors est vera remissionis peccatorum, justificatiōnis, ac salutis nostræ causa & fundamentum, quod firma fiducia, pœnitens peccator sibi applicare & quasi appropriare debet.

XXIX. Ad corroborandam hanc fidem, seu firmam in Christi morte fiduciam, atque etiam ad memoriam tantorum, quæ nobis Christus gratis peperit, beneficiorum recolendam, certa nobis simbola, sigilla ac pignora Christus constituit atque reliquit, quæ sunt sacramenta, baptismus scilicet & S. coena.

XXX. Per sacramentum baptismi nos gratis remittendo peccata, recipit in gratiam & largitur Spiritum S. qui corruptam naturam mortificet, sanet, & novam vitam, sive fiduciam in merito Christi, amorem DEI & proximi, atque desiderium rerum cœlestium, instauret.

XXXI.

XXXI. Virtus & efficacia baptismi per totam hominis vitam durare & sese exerere debet, desideria pravæ carnis agnoscendo, mortificando & fiduciam in DEO eiusque beneficiis cum virtutibus spiritualibus tuendo & conservando.

XXXII. In S.cœna, per sumtum benedictum panem & vīnum, in communionem & confortium substantialiter praesentis corporis & sanguinis Christi, quem propter peccata universi humani generis gratis fudit, recipimur, & poenitens ac miser peccator, hoc gratiæ divinæ pignore, meritum Christi sibi, ceu proprium, applicat, ad maiorem fiduciam remissionis peccatorum, iustificationis & spem vitæ æternæ concipiendam.

XXXIII. DEVS pro omnibus immensi sui amoris oblatis beneficiis, ab homine nihil aliud, quam desiderium & fiduciam, spem & amorem erga ipsum, item virtutes spirituales humilitatem, patientiam postulat, quo ipso infinitam eius potentiam, sapientiam, immensem eius amorem & misericordiam, recte cognoscimus, & sic decenti modo summum eius nomen honoramus ac celebramus.

XXXIV. Ob firmam & constantem fiduciam, quam patres olim sancti, Noa, Moses, Abraham, Jacob, David, Daniel, aliique in promisso futuro Messia collocarunt, ac amore & obsequio erga DEum comprobarunt, ipsi iusti & amici DEI atque electi ad vitam beatam & æternam fuerunt habiti.

XXXV. Insigne & luculentum fiduciæ erga DLVM, desiderii auxilii diuini, spei, consolationis, neque minus patientiæ, item laudis, gratiarum actionis & humillimæ venerationis divinæ testimonium liber psalmorum Dauidis, qui ab omnibus religionis Christianæ sectis, magni semper æstimatus,

matus, exhibet, qualem cordis affectum omnes fideles habere & imitari debent.

XXXVI. Optimum & saluberrimum adversus corruptam naturam diuina sapientia in ærumnis ac calamitatibus constituit remedium, quo, non sine ratione & fine, subinde ad accendendam fidelium fidem & implorationem diuini auxilii excitandam, vtitur.

XXXVII. Calamatibus, sine quibus nunquam ullus fuit sanctus & vere pius, DEVS mortificationem corruptæ naturæ, extinguendo prava desideria, intendit, neque minus fiduciam, spem, patientiam, aliasque virtutes spirituales exercet, corroborat atque accedit; & hac ratione omnes calamitates ad gloriam DEI & piorum salutem tendunt.

XXXVIII. Per orationem & implorationem divini auxilii fides optime exercetur & nomen Domini glorificatur. Nam dum desiderat a DEO ardenter miser homo auxilium, eo ipso eius potentiam, quod possit eum juvare, eius sapientiam five rationem & modum juvandi, eius immutabilem veritatem & benignissimum erga nos animum vere agnoscit.

XXXIX. Sapientissimus, quo DEVS tam in regno naturæ, quam gratiæ utitur, ordo, est, ut ex abjecto, quasi corrupto & mortuo, creaturæ existentiam, vitam & exaltationem producat, qua cognitione ad nomen, five potentiam eius, sapientiam & benignitatem enarrandam, mirifice inflammamur.

XL. Is Christi imagini fit conformis, qui omnes calamitates, persecutions & tristes casus, humiliiter & patienter ferendo, firma in DEI auxilio nititur fiducia: Nam huius natura est, ut ex morte vitam, ex inanitione exaltationem, producat.

XLI.

30

XLI. Neque tantum firma in DEO fiducia, spe ac desiderio auxilii diuini, sed & amore DEI atque proximi, nomen Domini honoramus & celebramus.

XLII. Dulcis doctrina euangelica est aptissimum obedientis cordis atque amoris erga DEV M & hominem incentivum. Sanum enim & innatum humanæ rationis principium est: a quo summa gratis beneficia accipimus, eum esse colendum atque amandum, adeo, ut quo majora sint munera, eo major gratia & honor offerenti debeatur.

XLIII. Frequens itaque atque attenta beneficiorum Christi meditatio & interior immensi amoris diuini erga nos sensus, ad reciprocum DEI amorem cor nostrum mirifice excitat.

XLIV. Amamus vere DEV M, quando summa eius beneficia, in regno naturæ & gratiæ nobis gratuito collata, frequenti lectione & meditatione verbi divini & sapientissimi ordinis in mundo contemplatione, grata & memori mente assidue recolimus & perpetuis laudibus, tam publice, quam priuatum, toto corde eum celebramus. Beneficia enim invitant nos ad officia, ad gratam memoriam, ad laudes, ad amorem.

XLV. Is vere amat DEV M, qui diuinæ voluntati, quæ in lege naturali, decalogo & saluberrimis Christi & Apostolorum monitis & amoris præceptis continetur, obtemperat, ipsisdemque se conformem reddit.

XLVI. Quum perpetua & immutabilis diuina hæc sit voluntas, ut omnium hominum salutem, tam temporalem, quam eternam, promoueat; utique is vere DEV M amat, qui amat proximum, & quidem secundum hunc ordinem, quo amat

se ipsum; atque adeo nil diuinæ naturæ magis est aduersum,
quam immisericordia & injustitia erga proximum.

XLVII. Quicunque homo publicam multorum salutem ac felicitatem procurare & promouere omnibus viribus nititur, is utique optime voluntati diuinæ se conformem præstat, & sic gratum & acceptum D E O ac hominibus opus facit: Is vero qui tantum proprium & priuatum commodum, destruendo multorum bonorum salutem, querit, nec D E O, nec hominibus, gratus est atque acceptus.

XLVIII. Neque quisque tantum proximum, sed & seipsum diligere debet, quod fit, si ea, quæ ad animæ & vitæ perfectiōnem vergunt attendat & perficiat, vicissim quæ sanitatem laedunt, vitam abbreviant & mentem inquietam reddunt, omnimodo fugiat, cuius generis sunt intemperantia in cibo & potu, præposteri animi motus, inordinatus amor & vehemens rerum vanarum desiderium.

XLIX. Non mente solum, sed & membris corporis nostri sanctificare nomen Domini debemus, quod fit, si ea pura, sancta & a brutalibus voluptatibus munda servamus. Nam Christus & animam, & corpus, suo sanguine redemit, atque hoc quoque, ob arctissimam cum anima vniōnem, extremo die resuscitabit ac immortale reddet.

L. Perfectissimum vitæ sanctæ & quæ D E O grata est atque accepta, exemplum ipse Christus nobis reliquit, quod imitari debemus. Nam uti in Christo immensus amor, gratia atque misericordia erga miserum genus humanum, innumeris modis, ut mortem etiam pro nobis subierit, apparuit, ita & nos omnibus modis & viribus, omni studio & opera, diligere proximum, eiusque miseriæ succurrere, felicitatemque communem & singulorum promouere debemus.

LI.

LII. Christus fuit erga homines benignus, mitis, humanus, quam indolem & animum nos quoque erga proximum induere debemus: fuit humilis & obediens patri suo, ergo & nos diuinæ voluntati in omnibus oportet submittere: terrena-rum fuit rerum contemtor; quare & nos in iis fiduciam cordis minime ponere debemus. Et sicuti aduersa tulit summa patientia, sic & nos omnia simili animo, quia secundum voluntatem DEI eveniunt, toleremus; tentationes Satanæ virtute verbi divini vicit, quod etiam nos imitemur. Atque hac ratione exemplum Christi sequuti, optime & rectissime nomen Domini magnificimus, honoramus & celebramus.

LIII. Bona nostra opera, sive officia, quæ Deo, nobis & proximo præstare debemus, his in terris multum sunt imperfæta; quia varii defectus & lapsus, cuius ætati, temperamento & naturæ a parentibus acceptæ, perpetuo adhærent, atque inordinati motus ac cupiditates, quam diu in carne sumus, se lese intermischendo, operationes spiritus multum minuunt atque impediunt.

LIII. Enormiter itaque errant ii, qui salutis suæ meritum in fiducia bonorum operum, in obedientia præceptorum diuinorum reponunt, exemplo Judæorum, Socinianorum, & multorum etiam ex Christianorum cœtu, qui tamen de operum suorum imperfectione quotidie convincuntur, atque ob id nunquam de salute sua certi esse possunt.

LIV. Licet bona opera, hac in vita, propter peccatum inhærens, sint imperfecta, nilominus quando ex fideli, grato ac obedienti erga DEV M corde proueniunt, atque in proximi salutem & DEI gloriam vergunt; ipsi placent

cent, & ad ostendendam fidem & ædificationem proximi necessaria sunt, & tam in hac, quam in altera vita, magnam propagationem & remunerationem habent.

LV. Quum prauam naturam semper secum gerat Christianus; contra cupiditates & prauos motus assidue pugnare, continua miseriae & imperfectionis suæ agnitione, auxiliique diuini iuuocatione, debet, & hac lucta carnis & spiritus nomen domini sanctificatur.

LVI. Magna sunt beneficia, quæ vera in Christum fide acquirimus: Nam hæc naturam nostram coniungit & vnit cum Christo, vt is in nobis habitet, vivat & operetur, qua unitione etiam spem resurrectionis & hereditatis vitæ æternæ & beatæ obtinemus certissimam.

LVII. Propter hanc cum Christi spiritu vniōnem, certifimus, quod electi ad regnum Christi sumus.

LVIII. Decretum DEI ab æterno de consequenda nostra salute immutabile hoc est: quod is, qui firma in DEVM & Christi meritum fiducia, vitaque pia & sancta nomen Domini celebrat, ab æterno salvandus sit.

LIX. Electionis nostræ pia consideratio certe dulcis inefabilis & consolationis plena, tum quod certitudinem de æterna salute propter Christum consequendam in variis tentationum generibus valde stabilit & confirmat, tum quod venerationem nostram in DEVM & glorificationem nominis eius vehementer accedit.

LX. Quicunque itaque ordinem salutis suæ, in verbo diuino clare reuelatum, præfracte & constanter negligit, atque verbi

verbi divini lectionem frequentem ac meditationem, qua DEVS salutis nostræ ordinem clare manifestat, intermittit: is sibi ipsi præripit salutem, neutiquam DEVS, qui cum ipse immensus amor sit, vult, ut quisque homo vivat atque nomen eius in æternum celebret.

LXI. Tutius & sanctius erga DEI consilia se gerunt, qui occultis DEO relictis & rationi minus obuiis, de revelatis opere implendis magis sunt solliciti.

LXII. In morte fidelium magnum a DEO beneficium. Corpore enim deposito, a carnis concupiscentiis, ab infidiis Satanae & mundi plane liberi evadimus, ut unio cum Christo ita fiat perfectior. Vnde fideles cum gaudio ex hac vita discedunt.

LXIII. Nullum est dubium, quin anima spiritualis, a contagione corporis immunis & sui juris facta, perfectiorem DEI cognitionem sit impetratura.

LXIV. Quo profundior autem & major divinæ essentiae cognitio, siue visio intuitiva, eo major DEI laus, gloria & celebratio fiet, in quibus præcipue beatæ ac æternæ vite ratio continetur.

LXV. Christus divinam suam naturam & potentiam corporum in cineres redactorum in vitam resuscitatione, ad majorem nominis sui celebrationem, demonstrabit luçulentissime.

LXVI. Sicuti corporis humani ad hanc vitam productio & generatio quasi ex puncto seminali; ita extremo die verum & idem corpus ex minima cineris portione rursus produci posse, omnino est credibile.

LXVII.

LXVII. Vti anima humana, quæ incorporeæ & omnis interitus expers, nunquam sine operationibus, quæ in intelli-gendi & judicandi facultate consistunt, existens, cum sensoriis uni-ta, in operando perfectior redditur; ita nullum est dubium, quin spiritualis hæc anima, cum perfectioribus & a labe im-munibus sensoriis post resurrectionem unita, ad ampliandam DEI gloriam longe perfectior in operando sit futura.

LXVIII. Anima humana, quo pluribus & sublimioribus hac in vita imbuitur veritatibus; eo majorem luminis gradum in veritatibus abditis, quas mens corporis compedibus vin-eta obscurius inspexit, cognoscendis & penetrandis impe-trabit.

LXIX. Hæc est vera illa & saluberrima theologia, quæ non in scholasticis, res claras magis obscurantibus spinis, non in ambiguis terminis, subtilibus distinctionibus, & multum inter se dissidentibus opinionibus, quæ omnia lites innume-ras & scandala pariunt, consistit; sed quæ veritatibus facili-bus, simplicissimis, salutiferis, perspicue in verbo divino traditis, atque ab omnibus salutis suæ cupidis facile intelli-gendis, unice continetur.

LXX. Vti virtus, ita etiam theologia, non tam in cognitione & theoria, quam potius actione & praxi consi-stat; unde recte definitur habitus practicus.




Gb 1024.
S g

W.M.

SL





SVMMA
INÆ CHRISTIANÆ
VCIS APHORISMIS
IN
AM ET CONNEXIONEM
RELATA
A
CO CHRISTIANO
IO SECVND A AVCTIOR
ALAE MAGDEBVRGICAE
ES CHRISTIANVS HILLIGER Acad. Typogr.
MDCCXXX.